



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Universitätsbibliothek Paderborn

**Caroli Borromei S. R. E. Presbyteri Cardinalis Titvli
Sanctæ Praxedis, Archiepiscopi Mediolani, Vita**

Valiero, Agostino

Antverpiæ, 1588

urn:nbn:de:hbz:466:1-43993





Th. 2474.

K
11
465

K 117

117





CAROLI
BORROMEI

S. R. E. PRESBYTERI

CARDINALIS TITVLI

Sanctæ Praxedis, Archiepiscopi
Mediolani, VITA.

*Augustino Valerio, S. R. E. Presbytero
Cardinali titulo Sancti Marci, Epi-
scopo Veronensi Auctore.*



ANTVERPIÆ.

Ex officina Christophori Plantini,
Architypographi Regij.

M. D. LXXXVIII.

REDE
ab

A
C

H

pars
stima
Viro
quib
giena
ri po
Suet
coru
inter
nume
tiu S
lumi
viro
tos d
Cara
tuit,



3

ANTONIO CARAFÆ
CARDINALI AMPLISSIMO.



*H*istoriam esse veritatis te-
stem, nunciam vetustatis,
& magistram vitæ, opti-
mè nosti: huius qui est ex-
pers, semper puer censen-
dus est. Nobilis historiæ
pars, fructus potius suauissimus historiæ exi-
stimatur ille, qui explicatione vitæ Illustrium
Virorum percipitur: continet enim exempla
quibus ad amplectendas virtutes, & ad su-
gienda vitia mortales vehementer inflamma-
ri possunt. Et idcirco Plutarchus, Laërtius,
Suetonius, qui vitas Romanorum & Græ-
corum litterarū monumētis consignauerunt,
inter historicos meritò numerantur. In quorū
numero Aloysium Lipomanum, & Lauren-
tium Surium, qui res gestas Sanctorum in vo-
lumina redegerunt, iure collocauerimus, &
viros de Ecclesia sancta Dei optimè meri-
tos dixerimus. Et vitam Caroli Borromei
Cardinalis Sanctæ Praxedis scribere oportuit,
vt posteritati viri nostra ætate præstan-
tissimi

tissimi sanctitas testata sit, & ne debita laude vir Dei defraudaretur, multo magis eius exēplo, qui futuri sunt, ad varias & excellentes virtutes imitandas excitarentur.

Sed multum ac diu veritus sum ne singularis amor quo Carolū sum prosequutus, plurima & eius in me beneficia, scriptio mea fidem apud aliquos essent ademptura: verum cum meminerim Sanctū Ambrosium Satyri fratris laudes duobus libris complexū esse; Bernardum itidem in Homilijs quas in Cantica Canticorum conscripsit, præclara de laudibus Gerardi fratris inseruisse, Gregorium Nazianzenum Gregorij Patris sui, & Gorgoniae sororis; Chrysostomum Patris sui, Basilium sororis; Augustinum itidem Monicæ matris laudes conscripsisse: sic mecum interdum loquutus sum: Viri sancti, quos nominavi, tanta amoris & sanguinis coniunctione minimè retardati, parentes, fratres suos laudauerunt: alij amicorū suorum, quorum virtutes sunt admirati, vitam conscripserunt ut Athanasius Antonij; Martini Severi; Bernardus Malachie; Gregorius Basilij, Cy

prian

5
prianus, Athanasij, Gregorij, Chrysostomus,
laudationibus etiam mortuis debitum hono-
rem tribuerunt, amori etiam suo aliqua ratio-
ne indulserunt: cur ipse idem officium non præ-
stet optimo viro, egregio Episcopo, & Car-
dinali amplissimo? cur me ipsum explicatione
tatarum virtutum quas noui & sum admi-
ratus non recreem? cur easdem optimo Car-
dinali, quem vnice dilexisse Carolus scio, non
commemorem? ut illa commemoratione pius
Cardinalis magnopere obletetur. Scribent
alii vberius: latissimus est enim scribendi cam-
pus, & tam excellentis virtutis non defuerunt
admiratores. Scribam ipse quæ vidi, quæ au-
diui, quæ longa cum eo consuetudine mihi cõ-
perta sunt. Laudationem certè nõ instituo, sed
interdum digredi aliquantulum, aut alicubi diutius
insistere mihi licere arbitratus sum, tum amore
ipso cõpellente, tum etiã maximè ut mihi ipse
ad tot tantasque virtutes imitandas acriores
stimulos inijcerem. Tibi Antoni Carafa Cardi-
nalis, mittenda erat hæc scriptio, qui (ut
paulo antè iudicavi) à Borromeo amabaribus
valde, ei que paria in amore referebas, &

multis quibus ille virtutibus insignis eun-
 dem quem Carolus nostro ordini splendorem
 afferebat, affers tu hoc tempore. Equidem
 omnibus seculis in sacro Cardinalium Collegio
 præstantes multi viri doctrina & pietate flo-
 ruerunt, quos commemorare & longum &
 superuacaneum esset. Hunc Borromeum, Pium
 Quartum Pontificem eius auunculum omit-
 tamus, & Pii V. & Gregorij XIII. Sancti-
 ssimorum Pontificum testimonijs varijs &
 multis laudibus celebratum scimus: proba-
 tum etiã valde fuisse Xisto Quinto viro ac-
 iudicio, & doctrina eximia, quem diuinitus
 nuper nobis datum Pontificem habemus: cuius
 Pontificatu Ecclesie Sancte Dei commodi
 omnia accessura speramus. Nec solum Pontifi-
 cibus quos nominavi, & sacro Collegio Car-
 dinalium, sed toti orbi Christiano eiusdem Ca-
 roli virtutem admirandam extitisse, magni
 nostri cum animi letitia audiimus; profutu-
 ram eius vitæ explicationem posteritati, De-
 iuuante, sperauerimus.

CAROL

7
CAROLI BORROMEI

S. R. E. PRESBYTERI CARDI-
NALIS TIT. SANCTÆ PRAXE-
dis, *Archiepiscopi Mediolani*, VITA.



VÆ est naturæ humanæ
peruersitas, vt quæ imitari
nos posse diffidimus, falsa
putemus, aut debita laude
defraudemus? Sic inuidia,
virtutis hostis perpetua, iu-
diciū peruertit, & super-
bia, vitiōrum omniū mater, virtutem obscu-
rare nititur. De illis qui ex hac corporis custo-
dia egressi sunt, posteritas rectè iudicat: res ab
illis egregiè gestæ tunc commemorantur li-
benter, quia nemo qui viuit, inde vel minimā
existimationis iacturam facere potest. Quis
enim cum mortuo contendat? quis mortuo
inuideat? quis à mortuo vllō in genere laudis
superari molestè ferat? Caroli Cardinalis Bor-
romei vitam & mores explicans, variarū vir-
tutum exemplar proponam: Nobilibus viris
veræ nobilitatis formam indicabo: Episcopis
Pastoralibus eius virtutibus stimulus iniicie-
tur: Sacro Collegio Cardinalibusque singulis
exempla egregia proponentur. Sanctus Bona-
uentura Cardinalis in Concilio Lugdunensi,
à Petro de Tarantasio Cardinali Ostiensi, qui

A 4

Pontifex

Pontifex maximus creatus, & Innocentius V. appellatus postea est, laudatus fuit. Inde nobis relictum est documentum, vt Cardinales illi qui virtutum specimen reliquerunt, ad excitandos ad illorum imitationem eos qui viuunt, & qui consequuturi sunt, laudentur. Cum egregia nobilitate humilitas, cum contemptu rerum externarum animi celsitudo, cum magna hilaritate castigatio corporis perpetua, sacrarum litterarum studiũ assiduum, cum varijs & maximis negocijs inuictus animus mira humanitate temperatus; mortis contemptus cum interiori gaudio; charitas eximia erga pauperes indicijs declarata plurimis, cum vitæ etiã periculo prædicationis studiũ, meditationibus & precibus assiduis enutritum, pascendarum animarum excellens quædam ars, Synodorum conficiendarum documenta præclara. Quid moramur? Virtutum omnium specimen Nobilibus viris, cuiuscumque ætatis Episcopis, & omnibus quibus animarũ cura est credita, Cardinalibus in primis, afferet Cardinalis Borromei vita, quæ sine vlllo fuce, sine vllis verborum lenocinijs explicanda est, vt debitus honor totius sanctitatis auctor Deo tribuatur, vt qui viuens adhuc fœcundæ vitiorum perniciem inuidiam, virtutis præstantia superauerat, profit etiam mortuus Ecclesiæ Dei; aliqui nostrum non habeamus vnde ignauiam excusemus nostram, qui tam longe

longè à præstantissimi viri, cuius sermonibus
 lōgo tempore frui licuit, virtutibus absumus.
 Comitum Borromeorum familiam ignorat
 nemo. Est etiam nobilitatis laus quædam, ni-
 mirum quod est veluti stimulus ad virtutes,
 & deterret maximè homines ne in illam infamiam
 incidant, vt à Maiorum suorum virtute degenerare
 videantur. Pietatis Borromæe familiæ præcipua
 laus fuit, & sinceræ religionis, cuius Carolus
 adhuc puer ita fuit studiosus, vt in conficiendis
 altaribus, pueritiæ suæ tempus ferè totum
 consumeret; nunquam à parentibus vel minima
 de re reprehensus: senilis quædam in eo
 apparebat prudentia, ita vt eius æquales illum
 venerarentur. Matre genitus est ex Medicea
 familia, quæ Ioannis Angeli Medicei, qui postea
 Pius IIII. Pontifex Max. est dictus, & Ioannis
 Iacobi Marchionis Melegnani soror fuit: in ea
 constans & virilis animus fuerat; cuius exemplum
 in omni sua vita Carolus filius vt strenuus
 Christi miles in Christiana militia, & egregius
 Gubernator in gubernatione Ecclesiastica se
 ostendit. Ticini aliquot annos Iuri Ciuili &
 Canonico operâ dedit, carus æqualibus, senibus
 admirabilis, acceptus omnibus. Sicque studijs
 in lubrica illa ætate operam dedit assidius,
 vt breui ab institutoribus suis, ijsque ad
 quos hæc cura spectabat, dignus habitus sit,
 qui Doctoris insignia publicè consequeretur,
 prout summa

sua cum laude consequutus est etiam ab Al-
 ciato insigni viro, doctore suo; quem paulo
 post grati animi signo, in Cardinalium Colle-
 gio affecti ab auunculo impetrauit vigesi-
 mum tertium annum cum ageret. Ioannes
 Angelus eius auunculus ad summum Ponti-
 ficatus fastigium euectus est. Agebatur tunc
 annus salutis 1560. Cum autem primum Ro-
 mam venit, postquam non nihil temporis de
 Protonotariis participantium numero fuisset,
 ac inter illos etiam qui supplices libellos
 summo Pontifici referre solent, in sacrum Car-
 dinalium Collegium cooptatus, & Mediola-
 nensium Archiepiscopus creatus est; nullus
 enim auunculus vnquam magis sororis filium
 quempiam non modo dilexit, sed insolito quo-
 dam honore prosecutus est, vt Pius Carolum
 dilexit, & honoribus varijs affectit. Profecto
 ita se res habet. Nihil est modestia amabilius,
 & nihil humilitate sublimius explicari potest.
 Honores plerumque fugientes sequuntur; qui-
 dem illos appetentes fugiunt. Hortabantur plu-
 rimi Carolum vt sacerdotia pinguiora peteret,
 vt rei familiari & redivisibus augendis stude-
 ret: qui cum responderet se satis diuitem futu-
 rum, si Deum timeret, & si nosset vti illis qua
 sua sponte pro sua benignitate eius auunculus
 Christi Vicarius illi donauerat; Pius animi
 moderationem admirabatur, & indies magis
 eius in Carolum amor augebatur. Sancte Se-
 dis

dis Apostolicæ præcipua negocia, & maxima
Carolus tractabat egregia fide, & singulari di-
ligentia, Principum legatos audiebat, nego-
ciorumque omnium summam ad Pontificem
referebat. Neminem ipse vnquam decepit;
nunquam vllum pollicitationibus & inani spe
lactauit. Illa ætate florente in tanta rerû co-
pia blandientibus & adulantibus quàm pluri-
mis, cum maximè transgredi posset, non est
transgressus, in nullam vel minimam inconti-
nentiæ suspicionem incidit, quia maximè om-
nium peccandi occasiones fugit, singulas diei
horas rectè collocare nouit, ita vt omniû vir-
tutum exemplar extiterit, & eius domus se-
minarium præstantissimorum hominum ha-
bita sit & nuncupata. Et aliqua noctis pars in
optimarum literarum studijs collocabatur; vt
omnino ociû incontinentiæ, & peccatorû om-
nium fomes tolleretur; illa ipsa honesta oble-
ctatione, molestiæ, quas varia negocia coniu-
ctas habent, condirentur, Et ipse eo tempore,
cum Romæ apud Cardinalem Naugerium
viuerem, cuius memoria in omni vita mihi
iucunda futura est, in eorum numero qui op-
timi Cardinalis familiaritate utebâtur, eram.
Sapienti iuvene, Cardinali optimo, & Ponti-
ficis sororis filio dignum institutum, sic vitam
informare suam, sic tempus diuidere, vt quo-
tidie aliquid discat, vt inuidiam, quæ vittutis
& prosperitatis est inimica, superet, vt omnem
maledi-

maledicendi occasionem adimat. Tractabantur quæstiones quædam Ciuiles aulica quadam & eleganti oratione, in quibus tractandis non minimum studiũ adhibebatur; acuebatur ingenium, facultatẽ dicendi vnusquisque sibi comparabat, seria iocis miscebantur. Ex illis qui in illum locum conueniebãt, Cardinales nõ pauci, plerique etiam Episcopi extiterũt: & de vtilitate capiẽda ex libris gentiliũ Sãctus scripsit Basilius: è quibus hæc in primis potest capi vtilitas, vt laudabili quodã pudore suffundamur, cum nos Christiani cum simus, à gentilibus tum aliquo virtutum genere superari nos animaduertimus. Contemptum rerum humanarum & diuitiarum, honorisquẽ despicientiam quãdam, virtutisquẽ admiranda præconia, robur in primis quoddã animi præclarum in morte contemnenda, quod Stoici in suis libris profitentur, Epictetus in primis aureo illo suo libello, qui Enchiridiõ inscribitur, pulcherrimis quibusdam rationibus satis concludentibus docet. Commotum se dicebat Carolus Cardinalis lectione libelli huius, & tum primũ cœpisse se despicerẽ, quæ cæteri admirabantur, cum Stoicorũ dogmata diligenter cœpit considerare. Tam bonus est Dominus Deus, vt rationibus varijs nobis etiam minimẽ notis, nostris soleat consulere commodis. Verũ non solũ Stoicorũ disciplina, quæ speciosa quidẽ est, sed non paucis

in re-

in rebus à veritatis deflectit tramite; sed in vera Philosophia, quam quicumque Christiani sumus, profitemur, se multum profecisse ostendit, cum acerbam & immaturam Federici fratris mortem æquo & constanti animo tulit. In illo sitæ fuerant omnes spes suscipiendæ prolis, & nobilissimæ familiæ propagandæ. Ad Federici vnici fratris filios non minimarum opū multiq̄ue splendoris hæreditas pertinere videbatur. Propinquorum morte aliqui affliguntur & quodammodo mœrore tabescunt: hic, mortuo fratre vnico, doloris nec minima signa dedit; omni mœrore abiectō se ipse colligens, fratris immaturam mortem, cohortationem ad mortem perpetuò meditandam, & ad cœlestem patriam quærendam diuinitus sibi factam putauit. Ab eo tempore in Vaticanis noctibus non quæstiones amplius è media Philosophia sumptæ tractabantur: sed sententiæ quædam graues è sacrosanctis Euangelijis depromptæ, copiosè & eleganter explicabantur; eæ imprimis quas Dominus noster Iesus Christus de beatitudine sententias grauissimas ore suo protulit. Hanc dicendi exercitationē ad hūc vsum instituerat, vt Mediolani ad populū sermonē habiturus, hoc dicendi genere ad munus quod sibi imprimis proposuerat, redderetur instructior. Valet enim ad comparandam facultatem dicendi & loquendi quandam fiduciam mirabiliter exercitatio,

citatio. Valebat Carolus ingenio, præstabat
 memoria; iudicio excellebat: quod non mi-
 nimæ virtutis est indicium, doctorum homi-
 num consilia in suis scriptionibus admitte-
 bat. Videbatur eius sermo exanguis, quòd mi-
 nimè commouere animos videretur, quod
 naturæ impedimentum, siue difficultatem,
 aut pronunciandi potius celeritatem longo
 vsu dicendi maximè temperauit: ita vt in
 Ecclesia Mediolanensi, & in Parochialium
 visitatione, & sæpè loqueretur, & non mi-
 nimo cum animarum fructu. Sacro presby-
 teratus ordine suscepto, quotidie cœpit sa-
 crificium offerre Deo; cum pijs & doctis
 hominibus versari, aliquot horas singulis
 diebus, quamuis varijs & magnis occupatio-
 nibus distentus, in optimis libris ponere: redi-
 tus Ecclesiasticos vltro ab auunculo sibi obla-
 tos, modestè cœpit recusare; magnas opes cœ-
 pit ipse habere suspectas: quippe quæ si attri-
 ctarentur, veluti spinæ confodiunt & exulce-
 rant animum. Oeconomum esse D. N. Iesu
 Christi, intellexit dispensatorem multarum
 opum; magnam copiam putauit cupiditatum
 inopiam; abijciendum fastum; multis non in-
 digere nos, si sapimus. Dum autè maiori gra-
 tia & auctoritate apud auunculum Pontifi-
 cem valeret, nihil maiore studio aut diligen-
 tia contendebat, quàm vt sacrosanctū Conciliū
 Tridentinum seruaretur; præclarissima &
 maximè

maximè salutaria decreta, quibus Ecclesiastica disciplina potissimum cōtinetur, & spes renouandę veteris dignitatis Ecclesię imprimis nititur, seruari studebat. Nam confirmato à Pio in primo Consistorio post legatorum ad urbem reditum Tridentino Cōcilio, monuit diligendos esse qui controuersias, quę ex eius explicatione oriri possunt, tollerent; institutaque est congregatio Cardinalium, quę viget adhuc, quę utilitates plurimas Ecclesię Dei attulit. Et viuente auunculo Pontifice, magnis precibus Carolus ab eo impetrauit, vt sibi liceret Mediolanũ ad Prouincialem Synodum celebrandam accedere; quam Synodum conuocatis Prouincię Coëpiscopis, cū aliquos viros optimos, in Ecclesiastica doctrina admodum versatos, secum adduxisset, mira celeritate confecit; quę & prima post vniuersale Concilium fuit, & quã plurimis alijs Archiepiscopis & Episcopis stimulus exstitit, ad tam præclarum institutum, quod in desuetudinem abierat, renouandũ. Et singulo quoque triennio nouam Synodum habuit, edendas etiam omnes curauit, vt suo loco aperiemus. Ipse qui paucos ante menses Veronę Episcopus erã factus, cū Pischeriæ Cardinalẽ conuenissem, diligentiam Pastoris admiratus sum, & virtutes plurimas, quibus indies magis proficiebat: tum primũ Carolum Cardinalem, Archiepiscopum Mediolani, Episcopis diuinitus

diuinitus stimulum iniectum palam dicere ce-
 pi, & in meipso sum expertus. Veronam etiam
 eo tempore accessit, cum Tridento rediret,
 quod profectus fuerat, ut Pontificis nomine Re-
 gias feminas Ferdinandi Imperatoris filias,
 quae Principibus Italiae matrimonio iunctae
 fuerant, exciperet. Ea in ciuitate illos qui Gi-
 berti optimi Episcopi familiaritate usi fuerant,
 diligenter interrogauit, qua ratione gregem
 illum tanta sua cum laude pasceret, mirumque
 studium pastoralis artis addiscendae praese-
 lit, tantamque modestiam aut humilitatem
 potius ostendit, ut a nemine non vellet disce-
 re. Redire tunc Romam coactus est, non mi-
 nimo cum animi dolore, quod sponsam quam
 praecipuo amore diligebat, relinquere cogere-
 tur. Cum enim de grauissimo morbo, quo
 Pius laborabat, nuncium accepisset, citatis
 equis maxima celeritate ad auunculum Pon-
 tificem redijt: quem cum morti proximum
 conspexisset, absque vllis lachrymis, intrepido
 animo, vultu etiam hilari, auunculum, a quo
 paternè fuerat dilectus, a quo honoribus plu-
 rimis, magnis etiam opibus fuerat auctus, in-
 tuens; Pater sanctissime (inquit) nunc de Pa-
 tria illa caelesti cogitandum est, in hoc cru-
 cifixo (quam imaginem ipsi ostendebat & of-
 culandam tradebat) spes nostrae collocanda
 sunt: hic vita nostra, hic resurrectio nostra,
 hic intercessor, hic hostia pro peccatis nostris
 oblata

oblata, hic neminem respuit in se credentem, illum verum Deum confitentem, & in se suas spes collocantem : dolore peccatorum commissorū, & vera pœnitētia delectatur Dominus, benignus, patiens, misericors, & clemēs. Accipiebat & ponderabat moribundus Pontifex quæ dicebantur, & pio sororis filij obsequio incredibiliter recreabatur. Ministrauit illi sanctissima Sacramenta, Redemptoris nostri salutiferam Passionem ab Euangelistis sacris conscriptam ipse lectitabat; flexis genibus orare pro moriente auunculo Pontifice non desinebat. Aderat Cardinalis Syrletus, doctrina & pietate insignis vir, quem Borromei monitu & rogatu Pius Cardinalem paulo antè fecerat. Mortem auunculi cū constanti animo tulisset Carolus, res maximas & Reipublicæ Christianæ salutare tū maximè cœpit cogitare. Ad creandum Pontificem in auunculi locum animum adiecit, qui Concilium Tridentinum feliciter à Pio perfectū seruandum curaret, qui disciplinam Ecclesiasticam, quæ iam renouari cœperat, ad pristinū candorem redigeret: cum quæ sine eius cōsensu, & eorum quos plurimos Pius auunculus Cardinales crearat, nemo creari posset Pontifex; hoc maximè studuit vt reipublicæ consuleretur Christianæ; & ne mora in creando Pontifice aliquod detrimētum Christiano populo afferret, nulla priuatarum rerum suarum

B ratione

ratione habita, Michaelē Cardinalē Alexandrinum, qui postea Pius V. nominari voluit, creandum Pontificem censuit, illique fauit, qui suo in Pontificatu, non Concilium tantum Tridentinum curauit seruandum, sed decretis quàm plurimis Ecclesiam sanctam Dei instruxit & ornauit. Præcipuū Cardinalis munus est, in creando Pontifice maximam adhibere diligentiam: nulla commodorum suorum ratione habita, eum deligere Pontificē, quem Christiano populo magis profuturum arbitratur, qui minimè omnium ad tantum fastigium aspirat, qui crucem Pontificatum existimet, qui vitæ sanctimonia, & assiduis precibus, frequentibusque sacrificijs cū Deo, cuius vices Romanus Pontifex gerit in terris, familiaritatem aliquam, quatenus humana natura patitur, habeat; contemptis rebus humanis, Dei gloriam in primis habeat propositam. Virum hisce moribus & perpetua & angelica quadam castimonia præditum, successorem auunculo maximè declarari studuit. Quo Cardinalis optimi studio & pia voluntate, utilitates variæ & maximæ ad Dei Ecclesiam redundarunt. Nam Pio Quinto Pontifice, Iustitia viguit maximè, Ecclesiastica disciplina renouata est, virtuti honores magni tributi, Principes Christiani debita veneratione Christi Vicariū prosequuti sunt; singulari Dei beneficio, victoria illa aduersus Turcas foedere

ictō

icto consequuta est, quæ docuit non esse insuperabilem Turcam, si adsit præclararum rerû perficiendarum mater concordia; quæ nisi cõsequuta fuisset, luctuosum esset cogitare, quò in statu Christianorum res essent. Creato Pio V. Pontifice, Mediolanû cogitare cœpit, quia sponsæ diutiùs desiderium ferre non poterat; quin se qui seruandû Tridentinum Conciliû magnopere studuerat, id admodû decere intellexerat: cuius opera quamuis Pius V. uti magnopere cuperet, rogasset quæ illum ut Romæ maneret aliquot menses, ut sibi partem adimeret sollicitudinis in plurimis & maximis negocijs quibus occupabatur; Concilij Tridentini decreto, & multis alijs rationibus se excusans, relicto Põtificis sui desiderio, Mediolanum profectus est; cum Abbatiam primûm Comæ in manibus Põtificis resignasset, nonnullasq; alias eruditæ & pijs hominibus, quorum opera fuerat usus, auctoritate Pontificis petita, cessisset: quorum omnium pinguiû admodum sacerdotiorum fructus, summam 40. millium aureorum nummorum & amplius singulis annis reddebant. Mirû fuit hoc seculo valde cupido tot redditus Ecclesiasticos sponte cedere; opes quas alij quærunt & admirantur, contemnere; in Cardinalatu moderationem Ecclesiastico splendori præferre; inuidiosam illam copiam & periculosam dicebat; in beneficijs singulis Ecclesiasticis quæ-

uis simplicia esse dicatur, coniuncta esse cura non minima cultus Ecclesiastici retinendi & augendi censebat. Cessit & tunc temporis coloribus suis ius primogeniturae, quod ei in plurimis Borromae familiae oppidis & castris compete-
 petebat. Principatum etiam Doyra 40. millibus aureorum vendidit, quod integrum pretium paulo post intra 25. dies pijs operibus & pauperum subsidij attribuit. Mediolanum profectus colligendorum hominum in sua Dioecesi valde anxius fuit, & in illis retinendis & fouendis ad usum Ecclesiae suae Mediolanensis tenacem admodum extitisse iure dixerim: Nam ex Veronensi Dioecesi Nicolaum Ormanettum, qui postea Episcopus Patauinus fuit, & alios nonnullos ad se vocauit. Cumque singulis annis Dioecesanam Synodos celebrasset, & tertio quoque anno Prouinciale, Ecclesiam suam sanctissimis institutis ornauit & auxit. Collegium Societatis Iesu, Domum itidem ex Patrum illorum prescripto Mediolani instituit, Patrumque illorum opera, etiam consilio, plurimis in rebus est usus. Abbatiam Aronae sibi commendatam Collegio Iesuitarum applicuit. Non quaerit charitas quae sua sunt; communem utilitatem spectat, publica comoda priuatis anteponeit. Et Patres Teatini Mediolanum sunt vocati, quibus domum penitus ac necessaria omnia proprijs impensis instruxit, eisque postmodum ad 15. & 20. aureos singulis mensibus erogabat. In pat-

tiendis

tiendis autem Ecclesiasticis muneribus, mirū
fuit quantum iudicium, quantamque diligē-
tiam adhibebat, ita vt quàm plurimorum ho-
minum opera eodem tempore vteretur; tan-
taque modestia & tanta cum animi tranquil-
litate onera impartiri consueuerat, vt se bea-
tū putaret is cui aliquid ipse imponeret. Iube-
re enim Spiritū sanctū vnusquisque sibi per-
suadebat, quæ Carolus facienda familiaribus
& amicis suis proponebat: cuius rei ipse sum
testis. Nam cū Mediolanum accessissem,
Veronæ Episcopus, vt tātī Archiepiscopi exē-
plo eiusque optimis præceptis redirem instru-
ctior; indicauit mihi, se cupere, vt onus scri-
bendi *Rhetoricam Ecclesiasticam* susceperem.
Tantam prouinciam suscepi, existimans non
ei parēre, sed Deo, quo cum ipse in assidua le-
ctione sacrorum librorū & frequentibus col-
loquijs, sacrificijs in primis quotidianis, versa-
batur semper. Et quamquam mihi opus diffi-
cile admodum videbatur, negare quidquam
sancto viro molestum admodum mihi erat.
Et opus scripsi breuiore spatio tēporis quàm
vnquam credidissem: liberè etiam affirmaue-
rim, & in omni vita mea affirmaturus sum,
excitatorem me habuisse neminem acriorē,
qui vehementiores mihi stimulos adijceret ad
labores omnes perferendos, & ad disciplinam
Ecclesiasticam capeffendam. Verè illud de
Carolo dici poterat; Super senes intellexi, quia

mandata eius quæsiui. Seniores enim nos
 Episcopi ab illo præcepta accipiebamus; eius
 monita non sequi, turpe iudicabamus: & ipse
 monendi munus non intermittebat. Sed tan-
 tam in monendo modestiâ & humilitatē ad-
 hibere consueuerat, vt interrogationibusqui-
 busdā adhibitis, quasi Episcopos in Conciliū
 accerferet, salutaria cōsilia ad lucrandas ani-
 mas Christo proponeret. Nullus Cardinalis
 maiore in honore habuit Episcopos, quàm
 Borromeus: Nulla schola nostrâ & patrum
 ætate tam celebris fuit, quàm Borromei do-
 mus: Nemo alacrius hospites recipiebat: Ne-
 mo plura beneuolentię, charitatis potius, in-
 dicia singulis dabat: ipsi arcana cordis liberè
 quisque poterat credere: ab illo deceptus fuit
 nemo: linguam maximè omnium custodiuit
 suam, vt ne verbo quidem quenquam vnquam
 falleret: & maximè omnium dicendi exerci-
 tatione delectatus est, & ad populum habuit
 sermones multos & crebros; ad illamque di-
 cendi exercitationem, & ad paternos sermo-
 nes ad populos habendos, Episcopos qui ad se
 accedebant, hortabatur: ex Clemente Petri
 successore dictitans sæpe, hoc primum fuisse
 Episcopalis hospitalitatis institutū apud san-
 ctos illos veteres Pastores, vt ad Ecclesias sua
 aduentantibus extraneis Episcopis diuini ver-
 bi prædicationem cōmitterent. Lacte matris
 nutriuntur felicius filij, quàm lacte nutricis
 qua matris

quamuis illa sit quoque robustior: & in pater-
nis sermonibus inest admirabilis quedam vis,
qua incredibiliter commouentur populi ad
virtutes amandas & ad vitia fugienda. Prædi-
candi studio deditos, & incredibiliter delecta-
tos, pro pastorali eorum munere, sanctissimos
Patres legimus; & qui aliter sentiunt, & pium
hominem, optimumque Pastorem interdum
non laudarunt, quia prædicandi studio maxi-
mè delectaretur, iniuste fecerunt, & Spiritui
sancto, qui in Concilio Tridentino illa verba
inseruit, præcipuum esse munus Episcopi po-
pulum docere, visi sunt restitisse. Inertes quo-
dammodo Pastores adulterina illa sua prudē-
tia efficiebant, illosque liberali & maxima vo-
luptate priuabant. Quamquam enim Catholi-
ci multos Pedagogos habeant Religiosos vi-
ros, doctrina varia & facundia etiam instru-
ctos, non multi sunt tamen (vt Apostolicis
verbis vtamur) Christiani populi Patres. Vnus
est omnium Pater Romanus Pontifex, ab
ipsoque in sollicitudinis partē vocati Episco-
pi. Et vt nullus filius requirit in patre eloquē-
tiam, illumque damnat quod minus ornatè
ipsum moneat: sic paternos & pastorales ser-
mones nullus populus non libenter accipit, si
paternæ illæ voces quæ proferuntur, operibus
etiam comprobentur. Sed profectò varios &
reconditos è Prophetis & ex libris sacris ec-
cerptos locos, quos Borromeus tractare con-
sueuerat,

fuerat, & eruditi etiam homines non pro-
 bare non potuerunt; & Pastoris industriam, &
 assiduum quod adhibebat studium in perle-
 gendis sacris libris, non poterant non valde
 laudare. Instituerat optimus temporis dispen-
 sator, inertiae inimicus acerrimus, & rerum lau-
 dabilium perpetuus excogitator, ut singulis
 diebus in oratorio, quod magnis sumptibus æ-
 dificandum curauerat in ædibus Episcopali-
 bus, postquam cœnatum esset, Litaniam dice-
 rentur; deinde sermones aliquot fierent, aut
 explicaretur pars aliqua Euangelij, aut senten-
 tia aliqua ex Sancti Pauli Apostoli Epistolis
 sumpta, copiose exponeretur: ipse omnium
 postremus dicere aliquid sæpe consueuerat.
 Quo in oratorio conuenire soliti erant, non
 familiares tantum Cardinalis, sed pij omnes
 qui pijs sermonibus delectabantur. Et illo in
 Oratorio Epistolas quæ præscripto sanctæ Ma-
 tris Ecclesiæ singulis diebus Dominicis & fe-
 stis recitantur, explicauit. Sic pastorales labo-
 res, sacrarum litterarum studio & prædicatio-
 ne verbi Dei condiebat, lectione sacra ora-
 tionem alebat, qua sic cum Deo iungebatur,
 ut Angelicam indueret naturam: & ieiunijs
 & varijs corporis castigationibus tyrannidem
 corporis comprimebat, seruū potius corpus
 effecerat; ita ut interdū pijs exercitationibus
 deditus, Synodos celebrans, Parochias Me-
 diolani, aut in latissima illa Diœcesi visitans,
 ac si

ac si esset incorporeus, 40. etiam horas sine cibo, nec vlli corporis necessitati indulgens, magna & varia negocia tractaret. Quo tempore non deerant qui illum repræhenderent: repræhensiones autem ipse hilari vultu excipiebat, & subridēs dicere consueuerat: Vnius horæ in extremo iudicij die reddendam esse rationem Pastoribus Ecclesiarum, multo strictiorem, quàm illis quibus nulla cura animarum commissa est, vnius diei: postulari ab Episcopis, & à Parochis, qui aliqua ratione & ipsi Episcopi nuncupari possunt, vt plura, hora vna ad Dei gloriam & ad propagandam verã pietatem verbo & exemplo ab ipsis gerantur, quàm die vno à cæteris hominibus. Quæ verba meo in animo vtinam insculpantur, & illorũ hominum qui in Pastoralis munere, Angelis valde fomidando, versantur! Et exactor temporis egregius, & vir desideriorum sanctorum, & documentorum plurimorum ad disciplinam Ecclesiasticam augendam perpetuus inuentor erat Carolus Cardinalis: qui cū maximè gauderet fieri discipulus, ab omnibus enim religiosis viris hominibus, & Ecclesiasticis interrogationibus varijs quotidie fieri doctior, & in arte pascendarum animarum instructior studebat: docebat tamen magis omnes Episcopos & omnes Clericos perpetua vultus serenitate, admirandaque quadam æquanimitate: custodia oris perpetua, vt ne ver-

bum quidē ociosum proferre soleret, docebat
sic humilitatem, modestiam, pallore quidem
vultus venerando ad continentiam & sobrie-
tatem omnes excitabat. Et excelsi animi &
præstantis cuiusdam fortitudinis specimē de-
dit in tuenda Iurisdictione Ecclesiastica, cum
causas quæ ad ipsum pertinerēt, doctorum &
piorum virorum consilio cognoscere omni-
no statuerit. Et potentiū minas non extimuit;
quin potius pro dignitate Ecclesiastica illos
anathemate deterruit, vt discerent (quemad-
modum dicebat) parere Ecclesiæ, & ministris
Dei debitum honorem exhibere. Et fuerunt
eo tempore qui sanctissimi hominis, humana
omnia contemnentis, non solum illam animi
constantiam non laudarunt, sed eius consiliū
valde improbarunt; quòd nimis velle, quod
vellet, videretur; quòd Regem potentissimum
tot Regnorum Dominum, Catholicæ fidei
defensorem acerrimum, inusitata hoc seculo
seueritate irritaret; & Pium V. Pontificē Ma-
ximum, Philippum eximio amore honoribus
etiam magnis prosequentem, huiusmodi ana-
thematibus in Regis Catholici ministros, &
in Mediolanensem Senatū aliqua ratione
turbarit: sed gloriam vnā Dei ante oculos
habebat propositam, & nihil magnum sine
Pij V. Summi Pōtificis, & Gregorij XIII. quos
magna veneratione prosequatur, consilio
aggressus vnquā est facere: nec ob id Philippi
animum

animum vnquam habuit infensum aut iratū:
 qui cum hæc ad ipsum à ministris suis scriberentur; iubere primū vt quid iuri congrueret, animaduertetur; dicere verò postea etiā consueuerat, scire se hæc à Carolo non sine causa esse gesta; admirarique potius ac suspicere Pastoris optimi sanctitatem. Sanctorum exemplis mirum in modum delectabatur; eorum res præclare gestas imitari studebat, maximè Thomæ Cantuariensis admirabilem constantiam in defendenda Iurisdictione Ecclesiastica imitatus: varias multorum voces, quibus interdum vir optimus lacerabatur, nō audiebat; sed beatum potius se putabat, cū maledicerent illi homines, cū illum inexorabilem & parum cautum rebus suis, suorumque commodis minimè consulentem nominarēt. Ad illum accesserunt eius consanguinei, in eadem qua ipse, nati Borromeorum familia: Rogauerant Cardinalē per illum ipsum Deū qui eorum familiam diuitijs, & splendoris titulis ornauit, ne ad iracundiam insolita sua seueritate Philippum Regem, in cuius potestate Mediolanenses sunt, prouocaret. Secundū Deum respondit, Philippo se debere omnia; illum Catholicum & de Christiana Republica optimè meritum agnoscere, & debitis honoribus prosequi; scire Philippum minimè probare quæ nonnulli eius nomine tanta diligentia curant; Regis Regum Christi iussa in
 animo

animo impressa habere; à Deo ipsi commissa esse animarum curam; in partem sollicitudinis Ecclesiæ sponsæ suæ à Iesu Christo per eius Vicarium Romanum Põtificem esse vocatum, muneris sui obliuisci nõ posse: Illi qui pro Philippo Rege Mediolani imperant, præsidia Aronam mitterent, facerent quod sibi magis placeret: se velle magis parere Deo, quàm hominibus. His verbis & alijs magnam animi lenitate cõsanguineos suos in officio cõtinebat; ita vt nec illi cõtadicere amplius auderent. Et hæc animi magnitudo & rerum externarum contemptus, magnam ipsi augebant auctoritatem; peruersumque morẽ huius seculi mirum in modum damnabat, qui increbuit, vt Pastores turpiter Principibus adulentur, eorumque nutu sacerdotia distribuatur, & redditus Ecclesiastici, non minimo piorum hominum cum dolore. Quæ tũ eius animi fortitudo licet consanguineis suis ab initio nocuisse visa sit; nihil tum obfuit; nam & arces omnes ad quas Philippi nomine à Mediolanensi Prorege præsidia missa fuerant ad frangendum eo terrore Caroli animũ, eiusdem Philippi iussu Borromeis honorificè admodum paulo pòst sunt redditæ. Et eandẽ animi fortitudinem præ se tulerat Cardinalis, cùm pro iure suo tuẽdo Canonicos Schalẽses visitandos inuitos etiã statuerat. Quo in munere tractando, periculo etiam mortis se exposuisse

fuisse visus est. Vitam hanc plenam ærumnis, varijs periculis expositam, lachrymabile exilium, molestam peregrinationem cur tãti faceret vir sapiens? cur tãtopere amemus mortales, Ministri in primis Dei Episcopi, vitia vt extirpare negligamus? vt indulgentes simus? vt nostra indulgentia, quæ disciplinæ nouerca est, gregem Christi perdamus? Et inciderat (vt dixi) indies magis ob admirabilem animi constantiam & mortis contemptum Cardinalis Amplissimus in plurimorũ maledicẽtias, res Ecclesiasticas carnalis prudentiæ regulis definientiũ. Sed profectò non bona magistra est mortaliũ multitudo: & illi qui prudentiores habentur, & fallunt & fallũtur sæpissimè. Studium visitandi Parochiales Ecclesias crescẽbat, indies magis plurimarum virtutum Cardinalis exempla dabat, peccandi occasiones quanta maxima poterat diligentia fugiebat ipse & adimebat ceteris. Sic Chorũ instruxerat, vt nihil oculis hominum illustrius conspici posset. Diuina officia, horæ Canonice, tanta cum diligentia persoluebantur, vt nihil accuratiũs institui aut obseruari potuerit: sapienter vt omnia. Nam Prophetæ illud animo volutabat: Maledictus qui opus Dei facit negligenter. Cui rei cõsulens, ad Psalmodiã & diuina officia iubebat omnes non nihil se in Sacrario primum disponere, ne ad orandum absque præuia præparatione accedentes, viderentur

viderentur esse sicuti Deum tentantes; quo in loco etiam silentij obseruantiam exactissimam procurabat. Cùm tanta Dei bonitas vt nos miseros, exules, rebelles potius, qui eius perennem hostem Sathanam perniciosam nobis consilia suggerentem sequimur, si malae actæ vitæ nos pœniteat, ad colloquium admittat: quanta est stultitia recusare colloquia cum Deo, à quo bona proficiscuntur? nõ orare? cordis euagationibus, peccatis varijs contaminari? preces inutiliter fundere? rebus omnibus egentes, mendicos auxilium à Deo cœli & terræ Domino non implorare? aut si aliquid consuetudine quadam coacti, aut pudore suffusi consueuimus petere; tanquam aliud agentes, oscitantes potius, quod non minima impudentiæ indiciũ est, petere? Et in seruanda Ecclesiastica disciplina laudabilem quandã feueritatem adhibuit; vt de ea interdum aliqui Canonici queri consueuerint. Integri enim dies festi in Cõcionibus audiendis, Diuinis officijs recitandis, Litanijs cantandis, & in Processionibus varijs in Ecclesia consumebantur. Nihil apparatu Ecclesiastico ornatus, aut magnificentius. Quamuis enim in cæteris rebus ad se spectantibus, paupertatis esset admodum studiosus; in ijs tamen quæ ad diuinum cultum pertinebant, regiam planè præ se ferebat liberalitatem, vt vestes sacræ & vasa aurea ac argentea, quæ decedens templo
maiori

maiori Mediolani legauit, apertè testantur. In Concionatoribus deligendis mirum studiũ adhibebat: ipse Cõcionatoris munere, pater-
 na quadam narratione fungebatur, & interdũ bis in die sermonem habebat; ijs præsertim diebus quibus ipse Pontificali habitu & more sacra mysteria publicè peragebat. Nimiam illam diligentiam aliqui nominabant. Et in Carolo Archiepiscopo, vt variæ & præstâtes virtutes fuerunt; ita hac in primis præstitit, quòd curiosorum hominum, ne dicam vanorũ, qui Aulici nuncupari solent, voculas contempsit: non quid plurimi de se dicerent, sed quid ab ipso faciendum esset, vt diuinæ legi obtemperaret, studebat. Et Bacchanalibus diebus præclarissimam inuenerat rationem, qua populus desineret insanire. Nã diebus festis in Ecclesia hymni canebantur: Musica tota plebs recreabatur; crebris quibusdã sermonibus breuibus, iaculatoria quadam oratione mentes omnium in cœlum erigebantur. Sanctissimæ Eucharistię Sacramētum ministrabat ipse frequentius eo tempore; illud etiam per totam Ecclesiam manibus portare consueuerat. Et in reliquis quoque Ciuitatis Ecclesijs idẽ fieri à Parochis præcipiebat, quod ijs qui laruati per vrbe incedebant, maximo plerunque erat pudori. Ita vt tunc maximè aduersus Sathanã eo tempore pugnaretur. Et huiusmodi erant sancti Chrysofomi & veterũ Episcoporũ
 pij &

pij & laudabiles conatus. Nam vt est militia
 tota vita hominis, ita & præstantior & illu-
 strior militia est vita Episcopi; cum singulis
 momētis ipsi pugnandū sit aduersus Sathanā,
 mundum, & carnem; sectatoresque Sathane,
 filij huius seculi, & prudentia carnis abundan-
 tes, quorum infinitus est numerus, perpetuū
 bellum exerceant. Quam pugnā vt strenuus
 Christi miles tanta cum alacritate inibat Ca-
 rolus, vt in pugna semper appareret alacrior.
 Et in grauioribus negocijs piorum hominum
 consilium adhibebat. Congregationes non
 paucas prudentium & religiosorum hominū
 instituerat, quorum iudicio nobilissimam il-
 lam Ecclesiam gubernabat, & Mediolanensis
 populi commodis consulebat, ita vt omnium
 generū miseris hominibus succurreret, pec-
 cata exterminare conaretur, occasiones etiā
 peccandi auferret. Verūm cum nulla possit
 excogitari maior miseria, quā Christianæ
 disciplinæ ignorantia; scholas quā plurimas
 quibus separatim pueri à puellis in Christianæ
 doctrinæ rudimentis informarētur, instituit;
 quas ipse frequentare consueuerat; in quibus
 sæpe paternos habebat sermones. Centum &
 viginti scholæ puerorum, circiter itidem cen-
 tum puellarum, diebus festis frequentabātur.
 quidam è plebe pij homines eleganti & pia
 metaphora sumpta ab Apostolis, Piscatores
 nominabantur, qui pueros ad sanctam &
 salutarem

salutarem illam disciplinam quodammodo impellerent, & varijs sæculi & iuuenilis ætatis fluctibus agitados, spirituali piscatione cape- rent, & ad salutis portum redigere conaren- tur: & pij homines quàm plurimi, aliqui libe- rali mercaturæ dediti, nonnulli etiam nobili genere orti, nobilissimam artem instituendi pueros in Christiana doctrina diebus festis exercebant. Singulis scholis præfectos consti- tuebat; feminas etiã pietate præstâtes, matro- nas nobilissimas, ad rudimenta Christiana do- cenda, pijs libellis ex eius præscripto editis, ex- citare non desinebat: tantusque ordo in re tã præclara & salutari est adhibitus, vt, Spiritu sancto magistro, Mediolani singulis diebus in Christiana pietate progressus maior fieri vi- deretur; vocesque Angelicæ diuinas laudes concinentes diebus festis totam exhilararent urbem, & in cœlum vsque penetrare videren- tur. Et ipse Caroli Archiepiscopi visendi cau- sa, Mediolanum quinquies cum accessissem, multo magis vt ad Veronensem gregem pa- scendum redirem instructor; cum eodẽ Car- dinali in illis scholis sæpe fueram. Et nullum diem, moram potius nullam prætermittebat Carolus, quin de Dei gloria, & de Ecclesiasti- ca disciplina excolenda cogitaret. Seminariũ centum & eo amplius puerorum instituerat; ædes commodas admodum & honorificas ædificandas illis curauerat; progressus in dies

C magis

magis in literis & in Ecclesiasticis moribus fiebant. Visitabat ipse sæpè Clericos, paterna quadam charitate illos complectebatur, nominatim ad omnes labores perferendos pro honore Dei illos excitabat, filios sæpe appellans. Et dum ipse prandebat, religiosos viros imitatus, qui in vnum coacti corpus suum cōsueverunt reficere cibo modico, singulis diebus festis seminarij sui Clericos aliquā sacrosancti Euangelij partem explicantes, & ex alto loco Concionem habentes, audiebat: iusserat etiam vt interdum Latino vterentur sermone. Exercitatio illa dicendi facultatem pariebat, & Clericos in muneris pastoralis præcipua parte erudiebat. Sic enim sanctus Spiritus in Tridentino Concilio, vt antea attingimus, declarauit, præcipuum munus Episcopi esse, item Parochorum (qui aliqua ex parte Episcopi nominari possunt, vt sanctus monet Ambrosius) populos docere. Et non vno seminario Clericorum amplissimo vir Dei cōtentus fuit, sed plura instituit; nam Clericos adultos qui in literis progressum non fecerant, in vnum locum cogendos decreuit, vt gubernatum animarum artē ediscerent, & mediocri Ecclesiasticarum rerum cognitione imbuti, in Ecclesiasticis moribus, ad regendas Parochias idonei efficerentur. Ex huiusmodi seminario fructus vberiores ad Mediolanensem administrandam Ecclesiam redundare, quàm

ex se-

ex seminario, aliquando dicere consueuerat. Per Dicecesim etiam aliquot huiusmodi seminaria rudioribus Clericis in Grammatica erudiendis instituerat : & Heluetijs paterna cura prospexit diligentissimus Pastor, & seminarium itidem ad nationis illius usum erexit: cui, ipsius suasu, Cardinalis ab Altraemps sacerdotium quoddam, quo seipse abdicauit, applicuit; è quo ad bis mille aureos singulis annis pro quotidianis necessarijs sumptibus percipiebant. Nobilibus item pueris, vt parentum indulgentiæ; illorum itidem qui parentibus essent orbat, commodis prospiceret, mira solertia construxit. Cuius exemplo deinceps alia nobilium puerorum sunt instituta Collegia. Vt paucis dicamus; nulli hominum generi, nulli sexui; nulli ætati, nulli humanæ miseriæ vir pius Mediølani nõ consultum esse voluit. Nam & expositis infantibus, & varijs affectis morbis, & mente captis, & virginibus feminis ad earum tuendam honestatem, & illis quæ corruptæ fuissent, vt in viam possent redire, & deuotis feminis quæ Capucinæ nominantur, ad vitam Angelicam (vt ita dicam) traducendam, Regulas præscripsit. Sodalitates verò pias, hortationibus varijs, præceptis itidem salutaribus ita stabiliiuit, & auxit, vt Mediolanum schola quædam Spiritus sancti, & pietatis omniumque virtutum veluti officina, & cœlestis Patriæ quidam angulus dici potuerit.

Sic enim interdum diebus festis innumerabiles puerorum & puellarum voces emittebantur suauiter canentium, & laudantium Deū, vt Angelorum chori repræsentari viderentur. Et eadem diligentia Parochialibus Ecclesijs extra Ciuitatem, & quàm pluribus Oppidis Mediolanensis Diœcesis consulebat, visitatores 60. & amplius foraneos delegit, præter sex generales, quibus totius Diœcesis singulis annis singulæ Prouinciæ quotannis visitandæ erant demandatæ. Præmittebat aliquos quò ipse postea esset venturus, qui populorum Cõfessiones exciperent, tradita eis ad hoc etiam facultate absoluendi à nonnullis casibus sibi reseruatis. Populos ipse sermone consolabatur, ministrabat eis sanctissimę Eucharistię Sacramentum, sancto etiam Chrismate vngebat; controuersias tollere, & multorum animas pacificare studebat; disciplinam Ecclesiasticam in singulis Ecclesijs excolendam esse iubebat; Dei cultum, tum interiorem tum exteriorẽ, magna diligẽtia promouebat. Dum hæc ageret, & animabus Christo lucrandis admodum esset intentus, ieiunijs corpus suum castigare non desinebat, assiduis precibus mentem eleuabat, & sanctis cum Deo colloquijs in huius mundi despicientia, quæ veram consequitur prudentiam, indies magis proficiebat, & omni hora in virtutibus singulis maximos progressus faciebat Carolus Cardinalis, Mediola-

Mediolanensis Archiepiscopus. Illum Pastorem optimum, sancti Ambrosij imitatore, nouum potius Ambrosium appellare quàm plurimi non desinebant. Nos vicini Episcopi illum admirari, quia custodiebat legem excelsum, quia super nos senes intelligeret, quia mandata Dei maximè omnium quæreret; eius exemplo, stimulo potius, excitati sæpe sumus ad labores omnes perferendos, & ad artē pacendarum animarū, artem omnium artium, ut rectè sanctissimus dicebat Gregorius, perdiscendam atque etiā exercendam. Et quia excellentis virtutis inimica perpetua est inuidia, non defuerunt qui homini, varijs virtutibus ornato, Angelicis moribus potius, qui nunquam iratus est visus, qui ne verbo quidem quempiam vnquā offendit, interdum detraherēt; quippe, qui ut isti dicebāt, rebus in minimis interdum plurimum studium collocaret; abstinentiam, virtutem eximiam & Ecclesiasticæ disciplinæ custodiam, nimium coleret. Ita consuevit Sathanæ hypodidasculus mundus; qui id plerunque studet, ut horum hominum optimas sententias & præclara instituta, quantum in se est, euerrat. At pius vir cum excellentibus virtutibus suis miram constantiam addidisset, id est consequutus, ut varias hominum voculas contemneret, & omnium inuidiam superaret. Et profectò diuinis quibusdam indicijs à summa Dei prouiden-

tia, quæ nec fallitur, nec fallit vnquam, manā-
 tibus, creditum est Carolum fuisse viuū præ-
 cipuo quodam amore à Deo dilectum, & in
 huius vitæ periculoso certamine diuino auxi-
 lio adiutum. Nam cum pro extirpandis vitijs,
 & honore Dei, quem semper ante oculos ha-
 buit, tuendo, Congregationem Humiliatorū
 reformandam sibi in animum induxisset (ad
 quod munus ab auunculo Pio quarto, ab eius
 itidem successore Pio quinto, fuerat delectus)
 ex illis nescio qui Præpositi, qui iustissimi ho-
 minis Cōgregationis illius salutem spectantis
 zelum sanctum iniquo animo accipientes, in
 seruum Dei, in bene meritum de se virū, odio
 exarserunt; illumque quo tempore cum tota
 sua familia ad Deum preces fundebat, satani-
 co quodam telo globulis quibusdam ferreis
 iniectis (facinus audacissimum) aggressi sunt;
 nec tum efficere potuerunt scelesti homines
 quod impiè machinati fuerāt. Nam etsi ictus
 ille vsque ad cutem penetrauit, nihil tamen
 nocuit viro sancto, quo minus colloquium
 quod iam cum Deo cœperat, absolueret. Et in
 sacris Templis ædificandis & ornandis ma-
 gnificentiam, & in Episcopalibus ædibus au-
 gendis studium, & miram hospitibus recipiē-
 dis alacritatem, & liberalitatem, Eleemosyna-
 rum copiam, quibus omnium generum ino-
 pes iuuabat si quis enumeret, laudationem in-
 stituat, necesse est; tanta & tam magna virtu-
 tum

tum exempla dedit Carolus; quæ ita patent, ita omnibus cognita & perspecta sunt, ut nec mea, nec cuiusquam commemoratione indigeant. Eximiam quandam liberalitatem aut magnificentiam potius cum admirabili pietate coniunxit, cum corpora sanctorum Nazarij & Celsi transferenda in illam ipsam Ecclesiam censuit: nihil fuit magnificentius, nihil quod ad alendum Dei cultum & ad sanctorum Reliquiarum Sanctorumque corporum venerationem hac ætate magis inflammaret. Aliorum etiam plurimorum Sanctorum corpora transtulit, & honorificis locis reposuit; sed maximo cum splendore in primis sancti Simpliciani, qui Ambrosio sanctissimo in Archiepiscopatu successerat; & quorundam aliorum Sanctorum. Interfuerat illi translationi Gabriel Cardinalis Paleotus, qui ad Clerum Mediolani occasione Synodi Diocesanae quæ celebrabatur, grauiissimam & elegantissimam orationem habuerat. Interfuerant plures Episcopi: ipse etiam fuerat inuitatus; sed occupationibus varijs impeditus, tam nobili spectaculo, in quo tota fuit commota Mediolanensis ciuitas, præsens esse non potui. Et ut ad quædam præcipua capita Caroli optimi Cardinalis vitam redigam: de eius mortis contemptu; de eius charitate erga morientes; de perpetuo studio sacrarum literarum; de assiduisque eius precibus ad Deum, deque admiranda sobrietate

tate & castigatione corporis singulatim dicā,
 breuiter tamen, quia scio hæc etiam ab alijs
 copiosius esse tractanda; & quia illa tantum
 mihi narranda esse existimo, quæ mihi notis-
 sima sunt, quæ ipse vidi, quæ obseruaui dū op-
 timi Cardinalis consuetudine fruerer. Nulla
 de re maiore cum animi sui sensu loquebatur,
 quàm de morte, peregrinatione, exilio: hanc
 vitam, quam tantopere mortales exoptāt, pe-
 regrinationem & exilium putabat: iactari va-
 rijs nos fluctibus, innumerabilibus perturba-
 tionibus commemorabat: peccandi terminū,
 & optabilem quandem securitatem mortem
 nominabat: in ea mali nihil inesse; in peccato
 sitam esse hominum perniciem: locos quos
 sanctus Ambrosius in libello De bono mortis
 tractat, valde cognitos habebat, tractabat etiā
 sæpè in familiaribus sermonibus. Addebat,
 turpissimum esse Christianis, miseram hanc &
 caducam vitam perditè amantibus, superari
 prudentia & fortitudine animi à Philosophis,
 præsertim ab Epicteto, à Seneca, & à Cicero-
 ne, qui de morte contemnenda pulcherrimos
 libros conscripserunt, & præclarissimas sentē-
 tias ad abijciendum omnem mortis timorem
 in medium attulerunt. Rem minimè vsitatā,
 & admiratione dignam narro. Dixerat mihi
 sæpe Carolus Cardinalis in familiaribus ser-
 monibus, hilari admodum vultu, sibi nihil ac-
 cidere posse in hac vita iucundius & vtilius,
 quàm

quàm si hac & illac negociorū causa transiēs,
 in cadauera quæ ad sepulturam defereban-
 tur incideret : inde se maximum fructum
 capere dicebat: secum enim ipse sic loqui cō-
 sueuerat: Et me etiam quatuor aut quinque
 cubiti terræ manent, & ipse in illo loculo de-
 ferar, hęc est fabula huius mundi seu vanitatū
 omnium, quibus sæpe à recto tramite defle-
 ctimur. Multo aliter plerique nostrū, qui
 mortē horrentes, cadauera maximè fugimus,
 & à meditatione mortis valde abhorremus.
 Illam enim meditationem mortis quam Phi-
 losophiā Philosophi nominarūt, & nos nō mi-
 nimam sapientię Christianæ partem dicimus,
 melancholiæ nutricē, molliter nimium, ne
 dicam insipienter, non pauci arbitramur: In
 quos homines si aliquando incidebat Cardi-
 nalis, eos liberè monere solitus erat. Et erga
 morientes benevolentiam incredibilem, ad-
 mirandam potiùs humanitatē, Carolus Car-
 dinalis præ se tulit. Cū enim ipsi de Coëpi-
 scoporum suorū ægritudine nuncius afferre-
 tur, citatis equis ad illos accurrere consueue-
 rat, sermone illos blando & fraterno ad pœni-
 tentiam inuitans; de æterna vita, de cælesti Pa-
 tria, de Iesu Christi filij Dei Salvatoris nostri
 meritis, de præciosissimo eius sanguine, cuius
 pretio redempti sumus, de salutari pœniten-
 tia, de infinita Dei misericordia, locos tracta-
 bat tanta cum pietate, vt illorum qui aderant,
 C 5 lachrymas

lachrymas eliceret. Et cum ipso ego etiam interfui, pium hoc officium Ioanni Delphino Episcopo Brixienti, qui proximis annis ex hac vita migravit, præstans. Et paulo antè quàm ex hac vita migraret, N. Nouariæ Episcopo cum idem officium ex præscripto Concilij Prouincialis Carolus præstitisset, paulo post in grauissimum morbum incidit, quem mors consequuta est, hoc est, transitus ad beatam & aeternam vitam. Nam non solum paternis & pijs illis sermonibus languentes Episcopos quos visitabat, recreare solebat, sed cùm deficere vires cerneret, genu flexus pro ægris preces fundebat, eorum animas Deo cõmendabat, demum eorum exequias sermone ad populum habito celebrabat, & hæc omnia magna temporis celeritate conficiebat. Nec ad Episcopos tantum & Principes ac nobiles viros, sed & ad quosuis graui morbo detentos vocatus libenter accedebat: vocabatur autè à plurimis, qui ei tantum deferebant, vt se statim pristinam sanitatẽ recuperaturos firmissimè crederent, modò ab ipso visitarentur. Quòd vero ægros maximè consolabatur, id erat, quòd auctoritate sibi à Christi Vicario concessa, in magna illa animarum necessitate, plenariam culparum omnium remissionem & indulgentiam concedebat. Quæ omnia statim vocatus, cæteris omnibus omis-
sis, ægris omnibus (vt diximus) domi forisque præstabat.

præstabat. Si laudationem ipse scriberem, lo-
 cum hunc rationibus plurimis exornandum
 mihi esse intelligerem: sed vitam tantum Am-
 plissimi. Cardinalis scribo; mores pios & verè
 pastorales propono mihi & Episcopis omni-
 bus in quos hæc mea scriptio fortassis incide-
 rit. Et hanc eandem charitatem erga mori-
 bundos Mediolanenses filios suos, quos cœ-
 lestis pater eius fidei commiserat, dum sæuis-
 simo pestilentie morbo laborarent, præstabat;
 quos nunquam mortis metu intermisit vise-
 re, quibus semper lue grassante (300. enim ho-
 mines singulis diebus per multos dies sæuitia
 morbi interibant) sacrosanctæ Eucharistiæ
 Sacramentum ministrabat, & pios viros ad idẽ
 munus hortari non desinebat. Calamitose
 tempore orandi regulas populo præscripserat;
 diuinum auxilium implorabatur; ipse nudis
 pedibus, fune è collo vtrinque pendente, cru-
 cifixi Domini nostri imaginem magni pon-
 deris humeris gestans orabat. Supplicationes
 publicè fiebant; longos & graues sermones ad
 populum tanta calamitate afflictum habebat.
 Non Mediolanum modò, sed vniuersa Italia,
 totus terrarum orbis eximiam Pastoris chari-
 tatem est admiratus: tantam virtutem nulla
 vnquam obscurabit obliuio, de qua & sermo-
 nes habiti, & libelli etiam sunt scripti. Domũ
 suam totam pensilibus pannis, proprijs vesti-
 bus ac lineis spoliauit, quibus tunc temporis
 pauperum

pauperum nuditatem texit. Contraxit eo anno Carolus (qui fuit à Christi natiuitate 1576) debita plurima; nam præterquam quòd quæcumque domi habuerat, in pauperum vsus distribuerat, decem millia amplius aureorum nummum tunc temporis mutuo accepta, ac eadem egenis & infirmis data, postea restituit. Insipiens seculum, carnalis & adulterina prudētia, cuius magister est Sathanas, quomodo imbecilles animas plerunque decipit! Non defuerunt qui dicerent, non debuiffe Cardinalem tot se exponere vitæ periculis. Et potuit, Deo iuuante, & debuit; cum nihil possit esse anima vna preciosius, & ad Pastorem pertineat animam ponere pro ouibus suis, se exponere periculis omnibus, imitari Christum Pastorum Principem, & salutem animarum sibi creditarum suæ vitæ præferre: ita charitatis ordo postulabat. Piam & verè Pastoralem hæc regulam comprobauit Dominus Deus euentu felici, cum illum incolumem seruauerit. Et sanè protrahendæ vitæ desiderium vitiorum non paucorum & calamitatum multarum origo est, & stultitiæ non minimum indicium. Quis enim longa & periculosa nauigatione, in qua naus varijs turbinibus sæpe iactitur, nauseabundi plerumque nauigantes omnia fastidiunt, delectetur? quis in exilio ita desipiat, vt de patria non cogitet? incommodo etiam diuerticulo in quo multi homines scelesti

lesti

lesti cohabitent, libenter utatur? Plerique mortales sumus huiusmodi, & vitam hanc laboribus & ærumnis plenam non amantes, nõ magno studio protrahere procurantes, tãtum abest vt laudemus, vt irrideamus potiùs. Et repræhensiones hominum, perniciofa prudentia omnia metientium, & res fluxas & caducas admirantium, vitam in primis protrahere studentium, nõ magni faciebat Carolus. Vias Dei non esse vias hominum; falsas esse huiusmodi regulas, mera potiùs Sathanæ sophismata, dicere cõsueuerat. Quare de morte sæpè longos sermones habebat & graues: de varijs huius vitæ miserijs quàm plura in mediũ afferebat, vt æternæ Patriæ desiderium mirabiliter excitaret. In sacris libris, in vera sapientia, quæ liber librorum, quem Spiritus sanctus in veteri & nouo Testamento descripsit, assidue versabatur; & ita orationem cum lectione, Thomam Aquinatem sanctissimorum virorum doctissimum imitatus, coniungebat, vt nunquam nisi genu flexus, sex annos antequã ex hac vita migravit, sacrosanctum illũ librũ perlegeret. Et in Prophetis, quos cœlestes oratores appellauerimus, multum ac diu erat versatus. Præcipuos locos ex Salomone excerpserat, & ad vsum in quàm plurimis sermonibus reuocare solebat. Si quis eruditionem variam & recõditam in Carolo Cardinali Borromeo non animaduertit, aut eius consuetudine non est

est vsus, aut non considerauit quæ ipse in medium afferre consueuerat. Nihil extra rem, nullum ineptum verbum, nullum quod cuiusquam animum posset offendere, annorum multorum quibus eius cõsuetudine sum vsus spatio, à Carolo memini esse prolatũ. Potuisset, si voluisset, Latine scribere satis elegãter: promptè enim & disertè satis loquebatur Latine; potuisset etiam hac qua vtimur lingua, sed in scribendo aliorum opera libentiũs vtiebatur; adhibebat tamen semper iudicium; quod tantum in corrigendis scriptionibus adhibere erat solitus, vt præstantes ingenio & doctrina viros in admiratione traheret. Et Prouincialia Concilia & hortatoriæ siue Pastorales Epistolæ, quas ad populum Mediolanensem sæpe scribebat, & sub eius nomine edebantur, ab ipso accuratissime emendabantur. Matrem esse sapientiæ humilitatem rectè dixerimus, vt sapientissime indicasse videtur Salomon. Qui enim nihil sibi tribuit, & neminem recusat magistrum, quamuis etiam præclarum à natura non duxerit ingenium, quod aliter Carolo contigerat, qui excellens ingenium & iudicium acre à natura habuerat; cum quotidie multa addiscat, doctus euadat necesse est, tanta imprimis, quanta Dei beneficio abundamus hac tempestate, bonorum librorum suppellectile adiutus. Et domus Caroli, & dum Pius auunculus viueret, & dum Mediolani
Pastorali

Pastorali suo munere fungeretur, fuit schola pietatis, Ecclesiastica & sancta quædam Academia, officina demum virtutum omnium, piorum & doctorum hominum contuberniū. Et ordinem, qui est rerum veluti anima, & in artibus & scientijs perdiscendis ac memoriæ commendandis artium & scientiarum præceptis mirabiliter prodest, mirabilē in studijs suis adhibuit. Capita rerū de quibus erat acturus, partiri consueverat, & ita distinguere, vt facile illa memoriæ mandaret, quam diuidendi methodum miris laudibus extulit Plato, vt eos qui norunt diuidere, Deo quàm simillimos dixerit. Et innumerabiles synopses, siue tabulas, quibus tractationes de Symbolo fidei, de decem præceptis, de Sacramentis, de oratione Dominica, de Passione Domini, de quæ singulis sacrosanctis mysterijs, ita in omnes solemnitates, in omnia etiam Euangelia quæ diebus festis recitantur, & in Epistolas sancti Pauli, confecit, quæ si vnum in librum redigantur, & in locos quibusdam à Pastoribus tractandos referantur, magnam profectò vtilitatem Episcopi, & Parochi, & quicumque verbum Dei prædicare consueuerunt, ex eius industria percipient. Solidam, non negamus, doctrinam tradiderunt Theologi Scholastici; in quibus qui non sunt versati, hoc tempore ne mediocriter quidem docti haberi solent. Et hoc ipsum dicere sæpe solebat Carolus, qui

qui pro sua modestia inter doctos numerari
 semper recusavit, nullam se scientiam tenere
 dicebat; cum tamen scientiarum omnium prin-
 cipia & præcipua etiam dogmata Theologiae,
 & moralis Philosophiæ optimè teneret : vt
 nemo de quæstionibus etiam difficillimis ma-
 iore verborum castimonia loqueretur. Aloy-
 sium, Granatam plurimi faciebat, eiusque li-
 bros diligentissimè legere consueverat. Locos
 ex eius Concionibus & opusculis sibi consti-
 tuerat, quibus copiosè, ex improviso etiam
 Euangelium, Epistolam, Missæ introitum, aut
 aliquos Psalmorum versiculos posset explica-
 re. Et non solùm ex Granata, sed ex sanctis Pa-
 tribus plurimos locos sibi collegerat: quo eius
 labore factum est vt facillimè tres aut quatuor
 sermones vno die ad populum habere posset,
 cum ferè nihil repeteret. Synopses quàm plu-
 rimas, Commentarios itidem varios & mul-
 tos, è quibus silua quædam Pastoralis in vnũ
 volumen redigi facillè poterit, testamèto re-
 liquit Ioanni Francisco Bonominæo Vercel-
 lensi Episcopo; cuius pietate & industria fiet
 aliquando vt ex optimi Cardinalis laboribus
 ab Ecclesiasticis hominibus fructus percipian-
 tur. Et Patri Francisco Adorno præcipuos
 quosdam locos digerendos paulo antequam
 ex hac vita migraret, tradidit. Dederat mihi
 Commentarium quendam, quem de arte me-
 ditandi, duos annos antequam moreretur, cõ-
 scripsit.

scripsit; qui profectò breuitate, & perspicuitate, grauitate etiam sententiarum, dignus est qui in piorum virorum manibus versetur. Nihil magis acuit ingenium, nihil ad præstantiã iudicij comparandam magis prodest, quàm assidua oratio; vt multi putauerint, admiranda opera quæ Sanctus Thomas Aquinas monumentis literarum consignauit, orationi potius sancti viri, quàm laboribus quos pertulisset in euoluendis libris, accepta esse referenda. Et sanctorum Episcoporum qui Ecclesiam Dei illustrarunt, hic fuit mos, vt cū assiduis precibus lectionem optimorum librorũ coniungerent; quod & nostro hoc seculo nemo præstitit diligentius quàm Carolus. Incommodè admodum somnum capere consueuit, & breuem quidem illum, nimirũ quòd agnosceret mortis imaginem somnum esse, & quàm diu dormiunt homines, mortuos dici aliqua ratione posse, quia nihil homine dignũ agunt. Et sæpe contingebat, vt dum Carolus Concionibus interesset, dum etiam sacrũ faceret solenne, somnus illum caperet: quod ne fieret, quamuis maximam diligentiam adhibuerit, consequi tamen sæpe non potuit, vt naturã remissionem illam & quietem afflagitante, non sæpe dormire etiam non cogere: erat tamen huiusmodi somnus breuis, & admodum interruptus, ita vt etiam quæ dicebantur magna ex parte perciperet. Sic ita

D

dispo-

disponente Domino Deo nãui quidam in ijs
quos præcipuo etiam amore diligit, conspi-
ciuntur. Et sobrietatem quandam admirabi-
lem præ se tulit, cum homo Mediolanensis in
fatis opulenta domo educatus, delicatis etiam
cibus assuetus, tantos progressus in præstantis-
sima virtute fecit, vt tres annos antequam ex
hac vita migrarit, ferè semper (de mensis festiuis
& solennioribus diebus, quibus cum omni-
bus familiaribus suis, ijsdem quibus illi cibus
vescebatur: quod & faciebat hospitalitati in-
dulgens, cum Episcopis aut alijs Nobilibus vi-
ris, qui ad ipsum frequenter diuertebant, con-
uescens) pane & aqua contentus fuerit. Sanè
altrix maximarum virtutum est sobrietas, cõ-
templationis & orationis sedula nutrix; digna
Episcopo, digna animarum Pastore & Chri-
sti imitatore laus. Et fuere qui sanctum Car-
dinalis propositum non laudarent. Cur ita?
Quia in sano amore nos plerique nimium di-
ligentes, corporis tyrannidem nõ agnoscimus
nec extimescimus. Nihil nobis magis est curæ,
quàm miserijs & ærumnis multis plenã hanc
vitam sine vlla vel minima molestia transige-
re; Patriæ nostræ, cœlestis illius Hierusalé, heu
nimium miserabiliter oblitæ: & profectò pau-
cis vel minimis natura contenta est. Et sanctus
Basilius pane & aqua contentus fuerat, & in-
numerabiles alij Episcopi; quos qui est imita-
tus, reprehendi minimè debuit, laudari potius.
Nos

Nos ergo qui à tanta virtute procul absumus, sobrietatem eximiam Pastoris quam vidimus, cuius familiaritate etiam sumus vsi, non semper recordari non debemus, vt tantæ virtutis memoria sit nobis veluti stimulus ad omnem luxum fugiendum, & ad omnes omnium generum cibi & potus delicias vitandas: variorum enim ciborum copiam, & vsum vini immoderatum, Ecclesiasticæ disciplinæ & Pastoralis artis corruptorem & inimicum iure nuncupauerimus: parere etiam hanc copiam inuidiam, & inertiam alere iure affirmauerimus. Quod si quis Episcopalem splendorem, aut Cardinalitium obijciat, & addat tenacitatis, ne dicam auaritiæ, suspensionem vitandam: is sciat Carolo, sobrietatis laude hac ætate insigni, rationes varias non defuisse in hospitibus excipiendis, in pauperibus alendis, in Templis ædificandis, quibus liberalitatem, magnificentiam etiam suam patefaceret. Quanquã nec ipse etiam Carolus dum Romæ fuit, cuiquã vnquã obiecit, si moderatione adhibita omnium generum cibis, lautis etiam, & vini vsu vteretur. Et corpus castigabat, verba illa sancti Apostoli ponderas: Ne cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar: quamuis si quis rectè consideret, multis rationibus, probabilibus illis quidem, adduci potuisset, vt quem socium multorum laborum & præclarissimarum rerum quas gerebat, nobilissima eius anima

D 2 habuerat.

habuerat, & nunquam, aut perrarò rebellem expertus fuerat, minus durè tractaret, Medicorum etiam monita audiens & valetudini consulens. Sed sancta Dei Ecclesia mira varietate virtutum ornata, hoc indulgentissimo seculo, tali sobrietatis & castigationis corporis exemplo fortasse indigebat; huiusmodi stimulo plerique nostrum vt tantæ mollietiei, tantarumque deliciarum quibus diffluimus, & inertes ad res cœlestes contemplandas efficiamur, indigebamus. Et visitandos Episcopos, & Cathedrales Ecclesias, vtile admodum Ecclesiæ Dei censuit; hortatus sæpe Pium & Gregorium Pontifices, vt visitatores mitterentur. Ipse visitandi munus non recusauit, Bergomum, Brixiam, Cremonam, partem etiam regionis Heluetiorum & Rhætorum visitauit magno cum animarum fructu: pietatis, diligentia exempla dedit plurima. Inde congregatio Cardinalium, qui Episcoporum causas cõponere, qui discordias omnes è Clericis tollere, qui Dei cultum interiorem & exteriorem tueri & propagare nituntur, instituta fuit. Pater Franciscus Panicarola ordinis sancti Francisci, & Pater Achilles societatis Iesu, mira de suis ieiunijs, & de perpetuis eius laboribus; deque admiratione quam Heluetij & Rhæti ceperant, sanctitatis huius viri, mihi dixerunt. Fuit etiam de illa visitatione quam proximo anno fecerat, pulcher conscriptus libellus,

libellus, & sancta itinera quæ vir Dei Carolus morti proximus susceperat, vt sacrosancta Dei mysteria in Monte Varallo meditaretur, & sanctas meditationes quibus antequâ ex hoc seculo migraret, cum Angelis versari inceperat, non defuerunt qui memoriæ commendarent, & narrarint pijs quibusdam epistolis & libellis. Et cum forti & constanti animo febri etiam correptus, mortē minimè extimescens, pijs operibus intētus, de salute animarum sollicitus, pastoralis vsque ad vltimam horâ munere fungeretur, sanctum Missæ sacrificiū celebrans, Canonicas horas recitans, Litanias canens, familiares suos, nautas etiam à quibus quibusdam in lembis vehebatur, in Christianæ pietatis rudimentis, languente e iam corpore, instituens. Et Mediolanum cum Calendis Nouembris rediisset semiuuius, antequam Medicum ad se admitteret, genu flexus forti animo in oratorio suo cū familiaribus suis satis longam orationem habuit. Cumque in lecto decubisset, vt Medicis qui illum versare in non minimo vitæ periculo affirmabant, obedirent, eundem lectum ornandum iussit imaginibus sacris, in quibus Christi mysteria fuerant depicta; memoria imprimis sacri sepulchri Domini nostri Iesu Christi, in quo sepulta sunt peccata hominum credentium in illum, & fidem suam pijs operibus comprobantium. Narrè quæ optimi Pastoris & Car-

dinalis Amplissimi mortem sunt consecuta; longissima futura esset scriptio. Commemorabo quædam quæ ad Dei honorem maxime pertinent, & ad excitandos eos, in quorû manus libellus hic noster perueniet, ad varias virtutes. Hæ audiebantur voces: Recens hic Ambrosius in cœlum vocatus est: Non eramus nos digni Pastore tanto: Solatio maximo destituti sumus. Ea quæ de Athanasio scripta sunt, in hunc virum conueniunt: vt quamuis quàm plurimos annos post beatum Marcum Alexandria ad Episcopatum successit; si virtutes considerentur, illi proximè successisse quispiam iudicare possit: Ita quamuis Carolus mille amplius post annos in Ecclesia Mediolanensi Ambrosio successit; proximè tamè ei hunc successisse, si imitationis ratio habeatur, quispiam dixerit. Nam Ambrosius nobilibus ortus parentibus, parentum nobilitatè, Christiana contentus, nõ magni fecit: ita Carolus. Satyri fratris mortem modestissimè tulit: sic Carolus Federici fratris. Liberalibus artibus instructus, & sacris literis deditus, docendi studio incredibiliter est delectatus: eodem studio sacrarum litterarum inflammatus Borromeus, cuius vitam scribimus. Mille insidie à Iustina & ab alijs scelestis hominibus illi structæ; sæuientium in sanctum virum miserabiles exitus: eadem Carolo contigerunt, qui ferreis globulis iniectis lædi minimè potuit.

ruit, vt antea attigimus; quorum etiã funestus
 admodũ exitus fuit: partim enim laqueo sus-
 pensis, partim decapitati : eorum congregatio
 omnis à Pio V. Pontifice religiosissimo deleta
 penitus & extincta. Eius tẽpore Hymni, Anti-
 phonæ, cani cœpti sunt: Borromei tẽpore, sæ-
 uiente etiã pestilentia, varij diuersarum vocũ
 concentus per totũ Mediolanum audiebantur:
 sed & eadẽ Antiphonæ cum Hymnis ab
 eodẽ restitutæ; Missalia, Breuiaria, Horaria,
 Ritualia, Sacramentalia ad pristinam normã
 redacta, & typis mãdata ac publicata. Potẽtes
 viros Ecclesiasticę disciplinę tuendę causã ex-
 communicauit: idẽ nõ extimuit facere Caro-
 lus. Sanctõrum Geruasij & Protasij corpora trã-
 stulit: hic Nazarij & Celsi, Simpliciani, Monę,
 Ioannis Boni, Archiepiscopõrum Mediolanen-
 sium, & plurimõrum aliorũ. In maxima opinio-
 ne sanctitatis apud exteros fuit: in magna etiã
 Borromeus. Plurimæ Regum ad Ambrosium
 literæ: multæ etiam ad Carolũ Hispanię, Gal-
 liæ, & Poloniæ Regum. Ieiunia eiusdẽ crebra
 & vigiliæ: plurimis Carolus ieiunijs deditus.
 Orandi assiduitas: & Carolus singulis diebus
 orationẽ cum lectione sacrorum librorũ con-
 iungebat. Sollicitudo itidem omnium Eccle-
 siarum : sollicitus maximẽ de Parochijs, quæ
 in latissima eius Diocesi sunt; sed & de om-
 nibus alijs Diocesisibus & prouincijs, quarum
 Præsules & Episcopi ad Carolum & scribebãt

& accedebant; consilia, preces & auxilia, ab eo implorabant; qui licet de amplissima Ecclesia sua maximè sollicitus, cæteris tamen etiam sese mirū in modū impendebat. Amor admirabilis erga pauperes. Et eleemosynas Borromeus libenter distribuit. alienatio prædiorum suorum eorum causa. Et hic vendidit suppellectilem omnem, vestes etiam suas pestilentia tempore, vt succurreret pauperibus. Paupertatis itidem studium & Carolus dum in suo cubiculo oraret, aut sacrae lectioni incumberet, vnica veste contentus, & ea quidè vilissimi pretij, hyeme & æstate utebatur. Idè peccata aliorum acerbissime flere consueverat: & hic gregis sui peccata lugere non desinebat, luxum maximè. Dignitatis Ecclesiasticæ studiosus Clericos à laicis in Choro distinxit. Et auctoritatem Ecclesiasticam defendit Carolus, nec laicos vnquam cuiuscunque essent dignitatis, etiā Regis nomine Prouincia toti præfectos, in Choro cum Clericis consistere voluit. Mortem suam prædixit: Eucharistiam paulò antequam è vita discederet, suscepit: dum ad sepulturam deferebatur, Demoniacorum clamores plurimi auditi: eiusdem corpus omnes tangebant; omnium ordinum homines ad sepulchrum deducebant: & hæc omnia Carolo diuino beneficio contingebat. Virtutes quæ in sancto Ambrosio fuerant, vt vno verbo dicam, in Carolo Borromeo mille amplius

amplius post annos renouasse Dominū Deū,
qui hanc nostram scriptionem legerit, & qui
libellos varios qui de ipso cōscripti sunt, euol-
uerit, facilius intelliget. Mirabilis est Domi-
nus in sanctis suis. Mirabilia sunt opera eius.
Prædicanda dona eius. Imitator hic egregius
Ambrosij, qui nouus Ambrosius, nominatus
est Carolus. Testamento supellectilem suam,
& non minimā pecuniæ partem, quæ in œco-
nomi manu eo tempore fuerat, pauperibus
Mediolani, qui in magno illo Hospitali degūt,
reliquit, nulla consanguineorum suorum ra-
tione aut mentione habita; quandoquidem
illos diuites valde, opulentos potiùs esse opti-
mè nosceret. Pauperibus, hoc est, Christo, cu-
ius membra sunt pauperes, à quo maximis
thesauris fuerat ditatus, cui animam suam di-
cauerat, supellectilem suam omniaque quæ
sibi reliqua erant, restituenda censuit, & sa-
pienter vt omnia, vt mercaturam laudabilissi-
mam, quam sanctus celebrat Chrysostronus,
in suæ vitæ exitu exerceret. Mercaturam san-
ctus ille vir appellat Eleemosynam, quam san-
ctus Spiritus interdū sanctam fœnerationem
nominauit, cū scriptum sit: qui miseretur
pauperi, fœneratur Deo. Et vir optimus &
amicitiæ cultor egregius, qui me in amicorum
suorum numero pro sua humanitate ante vi-
ginti duos annos collocauerat; nescio an me
excitauerit, an magno honore affecerit: dicā

D 5 vtrumque:

virumque: & ad pastorales omnes virtutes me
inflammat; & maximo me affecit honore,
cum imaginē sancti Ambrosij quem sibi imi-
tandum proposuerat, & ad cuius scripta assi-
duē legēda me saepe fuerat hortatus, mihi te-
stamēto reliquit: quo dono nihil mihi in mea
vita iocundius futurū est. Erit mihi imago illa
pulcherrimē contexta stimulus perpetuus ad
Pastorales illas & eximias virtutes quę in san-
ctissimo viro Ambrosio, & eius imitatore Ca-
rolo fuerūt, imitandas. Amicitiaē leges, si quis
alius, seruauit: seruauit ipse, cū liberē monue-
rit amicos, si quando illos monitione indigere
animaduertit. Et Religiosorū familiaritate de-
lectatus est plurimū, eorumque consilijs saepe
utebatur. Franciscū Adornum, Societatis le-
su, plurimi fecit; qui cū in extremo vitę cur-
riculo per dies plurimos, quo tēpore in mon-
te Varallo meditationibus se totū tradiderat
Carolus, ab eius latere nunquā discesserit; res
admirandas de eximijs virtutibus quas in po-
strēma vitę suę parte ostendit Carolus, narra-
uit & scripsit. Et Francisci Panigarolę doctri-
na & faciūda delectabatur Carolus, illumque
in visitationibus saepe comitē habere consue-
uerat. Et plurimi erāt qui libentissimē Pasto-
rem suū sequerentur, nullosque labores sub-
terfugerent, vt eius iussis etia cū vitę pericu-
lo obrēperarent. Ludouicus Moneta, Cleri-
cus Mediolanensis, vir egregia fide, & prestāti
pietate,

pietate, Carolo in primis charus fuerat: ipso
 comite in itineribus utebatur maximè; eius
 etiam consilia multis in rebus sequebatur. Et
 fuit ab eodem Cardinali Oblatorum Colle-
 gium institutum, Sacerdotum nõ paucorum,
 qui vouerent suo Archiepiscopo & eius suc-
 cessori se obtemperaturos; animarum curas
 sine vlla cunctatione, quando sibi ita videretur,
 se accepturos, nulla tenuitatis Parœciæ,
 aut loci difficultatis ratione habita. Ad quod
 Collegium Oblatorum, cum non semel Car-
 dinalis iussu accessissem, & Episcopus & proxi-
 mè etiam Cardinalis, disciplina Ecclesiastica
 quæ illo in Collegio maximè floret, & piorum
 sacerdotum laudabilissimis moribus & erudi-
 tione varia, sum incredibiliter delectatus.
 Quòd lachrymis vniuersus clerus, omnes no-
 biles viri, totusque Mediolanensis populus Ca-
 roli funus profecutus sit, scripserunt multi.
 Mœroris tot tamque varia signa apparuerunt,
 vt neque verbis neque literis exprimi posse
 videantur. Ad eius sepulchrum, quod prope
 Altare maius sibi ædificandum sine vlla pom-
 pa constituerat, innumerabiles mortales con-
 fluxerunt; confluisse etiam multos post dies
 accepimus. Et nõ paucos reperiemus, qui ad-
 mirabiles Caroli virtutes cõsiderantes, con-
 temptum rerum humanarum cum admiran-
 da charitate & assiduo cum Deo colloquio
 coniunctum, & cum frequentissimo Euchari-
 stiæ usu

stia vsu, & mansuetudinem eximiã, & maximam humilitatem, & angelicas virtutes quibus Carolus fuerat conspicuus, iam eum in cœlum euolasse, pro certo habeant; putent etiam fore, ita Deo, cui arcana omnia notissima sunt, disponente, vt Carolus aliquando in sanctorum numero collocetur.

Et Gregorius XII. iudicio præstantissimo & eximijs virtutibus præditus, accepto de eius morte nuncio, in Consistorio de excellentibus Cardinalis tanti, qui magnum sacrosancto Collegio ornamentum attulerat, & pro sancta Ecclesia, proque amore Dei labores varios pertulerat, virtutibus sermonem habuit, magnum & iustum dolorem suum Cardinalibus exposuit. A quo Pontifice Gregorio, & Pio V. qui in Pontificatu illum præcesserat, vnicè dilectus est, & testimonijs varijs tum in Consistorio, tum in multis sermonibus fuit celebratus, & Roma tota quæ virum Dei venerabatur, & vt lumen militantis Ecclesiæ agnoscebat & suspiciebat, Carolum luxit, & lugent illum adhuc plurimi: in luctu hac ratione se ipsos consolantes, quòd in cœlestē illam Patriam ante Regem Regum Dominum Deum, cuius imperio totus regitur mundus, admissus Christianæ Reipublicæ, cui exemplo & laboribus consuluit, precibus assiduis prodesse non desinet. Et quâdo eius exemplo meliores nō pauci efficiuntur, Disciplina etiã Ecclesiæ;

Ecclesiastica scriptio[n]ibus suis crescit; nobis dubium minimè esse debet, fore vt crescentibus eius meritis, crescat præmiũ, eiusque augetur gloria. Eius exequias celebravit Nicolaus Cardinalis Cremonensis, qui mirifico amore Borromeum diligebat; ita vt sacrum faciens, lachrymas continere sepe non potuerit, iacturam quam fecerat amici optimi, & egregij pastoris de patria sua optimè meriti considerans. Attigit annum quadragesimum septimum. satis longam vitam duxit, si plurimarum virtutum exempla quæ reliquit consideremus: admodum breuem, si ad commoda, quæ Ecclesiæ Dei afferebat, exemplo, & plurimis laboribus suis animum intendamus. Vt vir Dei diutius præmio sibi debito, cœlesti illa patria careret, noluit Dominus, qui sit benedictus in sæcula.

FINIS.

RDE
46

APPROBATIO.

Eximio pietatis Christianæ fructu
libellus hic doctissimus & variè
vtilissimus excudatur.

*Ita est, V Vilhelmus
Lindanus.*

SVMMA PRIVILEGII.

REGIS priuilegio cautum est, ne quis
citra consensum Christophori Planti-
ni, Vitam Caroli Borromei, S. R. E.
Presbyteri Cardinalis Tit. S. Praxedis,
Archiepiscopi Mediolani, Augustino
Valerio S. R. E. Presbytero Cardinali
tit. S. Marci, Episcopo Veronensi, Au-
ctore, intra annos sex imprimat, aut alibi
impressam in suas ditiones importet, vena-
lemue habeat, vti latius patet in literis datis
Bruxellæ secunda Augusti, M. D. XXCIIX.

Sign.

I. de Witte.

LIB
14

SUMMA PRIVILEGII


Reverendissimo Patri Archiepiscopo
Venerabili Catholice Romane Sedis
Procuratori Cardinali Tituli S. Petri ad
Vincentem Archiepiscopo Mediolanensi
Valentino S. R. E. Presbitero Cardinali
et S. Marci Episcopo Venetensi
Gloriosissimo Imperatori Romano Germanico
et Hungarico Archiepiscopo
Electori Palatino Rheni
Buxelle Secunda Augusti M. D. XCIX.

Zijt


J. de Witt



RH
ab




RIL
a b




RIL
ab



R III
ab





Th

2474



RII
46